

etiam non jejunus, qui missam perficiat : sed negant eam ad naturam illius sacrificii pertinere : quia 1° sacrificium perfectum existere potest sine sumptione, ut olim holocausta. 2° Communio seu sumptio est participatio victimæ, et ideo supponit eam esse mactatam atque oblatam. 3° Certum est Christum in ultima cœna verum obtulisse sacrificium, et incertum an proprium corpus et sanguinem sumpserit, licet hoc habeatur ut valde probabile : ergo saltem concipitur essentiam sacrificii communionem non absolute supponere. Ergo.

Recenseantur quæ supra breviter diximus.

### CAPUT TERTIUM.

#### DE EFFECTIBUS SACRIFICII MISSÆ.

Tria hic inquiri possunt, scilicet, 1° quos effectus sacrificium missæ producat, 2° quomodo eos producat, et 3° quis sit ejus valor.

#### ARTICULUS PRIMUS.

##### QUOS EFFECTUS SACRIFICIUM MISSÆ PRODUCIT.

Ratione finis seu effectus, quadruplex olim distinguebatur sacrificium, videlicet latreuticum, eucharisticum, propitiatorium et impetratorium.

At libenter concedunt Protestantes sacræ Eucharistiæ confectionem esse sacrificium *latreuticum*, ad Deum supremo cultu adorandum, et *eucharisticum*, ad gratias ei persolvendas. Sed pertinaciter negant illud esse *propitiatorium* et *impetratorium*, sub prætextu quod tunc sacrificio crucis illuderet ; contra quos sit

##### PROPOSITIO PRIMA.

*Sacrificium missæ est propitiatorium.*

*Prob.* Propositio est de fide ; probatur testimoniis Patrum, liturgiis et ratione.

1° *Est de fide*, ut pote in concilio Trid. definita, sess. 22, can. 3 : « Si quis dixerit missæ sacrificium tantum esse » laudis.... non autem propitiatorium...; anathema sit. » Ergo 1°.

2° *Probatur testimoniis Patrum.* S. Cyrillus Hierosol., Catech. mystag. 5, n. 10 : « Christum mactatum pro nostris peccatis offerimus, clementem Deum pro nobis de » mereri et propitiare satagentes. »

S. Ambros., de Officiis, l. 1, cap. 48, de Eucharistiæ sacrificio agens, ait : « Offert sese quasi sacerdos (Christus), ut peccata nostra dimittat. »

S. Hieron. in cap. 1 Epist. ad Tit. : « Quid de episcopo » sentiendum est, qui quotidie pro suis populique peccatis illibatas Deo oblaturus est victimas? » Ergo 2°.

3° *Liturgiis.* In cunctis enim liturgiis, etiam antiquissimis, Orientalibus et Occidentalibus, hæreticorum et schismaticorum, sicut Catholicorum, sacrificium missæ pro remissione peccatorum offertur. Ergo 3°.

4° *Ratione.* Christus est propitiatio pro peccatis nostris : atqui ipse Christus in sacrificio missæ Deo exhibetur, realiter præsens, et tanquam pro peccatis nostris immolatus : ergo sacrificium istud debet esse propitiatorium, nec ullo modo sacrificio crucis ad sensum Protestantium derogat : quod sic exponit Bossuet, *Exposition de la doctrine de l'Église catholique* : « C'est la doctrine expresse de l'Église » catholique dans le concile de Trente, qui enseigne, » sess. 22, cap. 1, que ce sacrifice n'est institué qu'afin de » représenter celui qui a été une fois accompli en la croix, » d'en faire durer la mémoire jusqu'à la fin des siècles, et » de nous en appliquer la vertu salutaire pour la rémission » des péchés que nous commettons tous les jours. Ainsi, » loin de croire qu'il manque quelque chose au sacrifice » de la croix, l'Église, au contraire, le croit si parfait et » si pleinement suffisant, que tout ce qui se fait ensuite » n'est plus établi que pour en célébrer la mémoire et » pour en appliquer la vertu. » Ergo 4°.



## PROPOSITIO SECUNDA.

*Sacrificium missæ est impetratorium.*

*Prob.* Est de fide ; probatur usu Ecclesiæ et ratione.

1° *Est de fide.* Concilium. Trid., sess. 22, can. 3, post verba superius citata, dicit anathema eis qui contenderent sacrificium missæ offerri non debere *pro pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus.* Ergo 1°.

2° *Probatur usu Ecclesiæ.* In omnibus quippe liturgiis sacrificium missæ offertur ad obtinenda bona spiritualia, *pro nostra et totius mundi salute, et etiam ad sollicitanda bona temporalia* : sic olim offerebatur *pro salute imperatoris*, teste Tertull., lib. ad Scapulam, cap. 2. » Pro » communi Ecclesiarum pace, pro recta mundi compositione, pro imperatoribus, pro militibus et sociis, pro » iis qui infirmitatibus laborant, pro his qui afflictionibus premuntur, et universim pro omnibus qui opis » indigent, » inquit S. Cyril. Hierosol., Catech. mystag. 5, n. 8. Similiter et nunc celebrans commendat Deo totam Ecclesiam catholicam, papam, episcopum, etc. Ergo 2°.

3° *Ratione.* 1° In sacrificio missæ Christus realiter præsens Deo offertur : atqui talis oblatio idonea est ad impetranda bona, sive spiritualia, sive etiam temporalia, quatenus ad salutem conducere possunt. 2° Sacrificium istud est propitiatorium, *ex dictis* : obtinet igitur gratiam peccatorum et pœnarum peccatis debitarum remissivam : cur ergo alia dona ad salutem conducentia obtinere non posset ? 3° Vetera sacrificia, novum sacrificium obunbrantia, erant propitiatoria et impetratoria : ergo et sacrificium missæ.

## ARTICULUS SECUNDUS.

QUOMODO SACRIFICIUM MISSÆ EFFECTUS SUOS PRODUCAT.

*Constat ex dictis* sacrificium missæ, veteribus sacrificiis æquivalens, esse simul laeuiticum, eucharisticum, propitiatorium et impetratorium. Verum petitur an hu-

jusmodi effectus producat immediate vel mediate, ex opere operato, vel ex opere operantis.

1° Quatenus est laeuiticum et eucharisticum, immediate et ex opere operato effectus producit ; per seipsum enim, et independentem a dispositionibus celebrantis vel assistentium, Deum cultu patriæ honorat, et gratiarum actionem pro collatis beneficiis solvit.

2° Quatenus impetratorium, bona tam spiritualia quam temporalia et pœnarum peccatis debitarum condonationem immediate sollicitat, absque merito sacerdotis, ac proinde ex opere operato. Verum, ex decretis Dei, per modum suffragii operatur, et ideo non semper obtinet effectum ad quem destinatur.

3° Ut propitiatorium, remissionem peccatorum, sive mortalium sive venialium, non producit immediate, sed mediate, obtinendo gratias eliciendi actus pœnitentiæ, congruentes dispositiones ad sacramenta quibus gratia sanctificans, prima vel secunda, annexa est, etc. Sic expresse habet concil. Trid., sess. 22, cap. 2 : « Hujus » oblatione placatus Dominus, gratiam et donum pœnitentiæ concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit. » Unde ingens datur discrimen inter sacramenta et missæ sacrificium, quoad modum operandi ; ritus enim sacramentalis sic a Christo fuit institutus, ut, eoposito, effectus in obicem non ponentibus infallibiliter producat ; missæ vero sacrificium, licet pretiosissimum, infallibiles hujusmodi effectus non producit, idque ex sapienti divina institutione quam venerari et non scrutari debemus : idcirco sæpissime pro eodem fine iterari potest.

4° Nihilominus divinissimum illud sacrificium suum habet effectum, etiam quatenus est propitiatorium, ex opere operato. Ipse enim Christus, qui in cruce mactatus est, super altare immolatur, et Deo in remissionem peccatorum offertur : atqui talis oblatio peccatorum remissionem sollicitat, independentem a dispositionibus sacerdotis : ergo. Sed valoris hujus sacrificii applicatio a variis pendet circumstantiis nobis ignotis : propterea ejus efficaciam nunquam certo noscimus.



5° Quamvis missæ sacrificium ex opere operato prosit, et principalem suum effectum independentem a dispositionibus ministri habeat, certum est tamen sanctitatem celebrantis, fervorem assistentium et dispositiones eorum pro quibus offertur ad ejus efficaciam seu applicationem non parum inservire: est sententiâ communis doctorum et fidelium.

### ARTICULUS TERTIUS.

#### QUIS SIT VALOR SACRIFICII MISSÆ.

1° *Certum est* sanctissimum illud sacrificium in se spectatum, esse valoris infiniti, cum ipse Christus simpliciter infinitus offeratur: infinitos igitur producere potest fructus.

2° *Certum est* illud, ut latreuticum et eucharisticum, esse pretii infiniti, id est, Deum infinite honorare et laudare, quia omnes actiones Christi sunt valoris infiniti; *a fortiori*, præstantissima illa actio qua sacrificium crucis incruente renovatur.

3° *Certum est* fructum hujus sacrificii homini communicatum seu applicatum, non esse simpliciter infinitum; nam 1° efficacius esse non debet quam sacrificium crucis: atqui sacrificium crucis non fuit infinitum quoad applicationem, alioquin omnes homines de facto ab omnibus peccatis fuissent justificati. 2° Missa pluries offerri non deberet pro eodem fine, quod praxi Ecclesiæ adversatur. 3° Creatura applicationis simpliciter infinitæ non est capax. Ergo.

4° Cum valor sacrificii missæ sit in se infinitus, et unicuique finito modo tantum applicetur, *certum est* eum multis simul, æqualiter vel inæqualiter, juxta Dei beneplacitum, applicari posse. Unde qui audit missam coram multitudine celebratam, tantum percipere potest fructum, sine aliorum præjudicio, quantum perciperet si solus assisteret: talis est communis fidelium et totius Ecclesiæ sensus. Secus enim melius esset missam parochialem deserere, et quærere missam privatam; satius esset habitare in parochia exigua quam in numerosa, etc.

*Notandum* triplicem in sacrificio missæ distingui fructum: unum generalem omnibus assistentibus communem; alium specialem, qui, vi intentionis ministri, alicui potest applicari, et tertium specialissimum, qui ad celebrantem essentialiter pertinet, quatenus rem bonam facit.

5° *Certum est* missam pro aliquo specialiter oblatam, ipsi specialius prodesse, quamvis ignoremus quomodo id fiat. Theologi rem illustrent exemplis: sol, v. g., coram multitudine lucens, non ideo minus illuminat singulos; vox a multitudine audita, non minus a singulis auditur; et nihilominus, sine aliorum præjudicio, intensitas luminis vel calor aut soni vocis ope artificiali augeri potest respectu privatorum. Ergo.

6° *Disputatur* inter theologos an missæ sacrificium pro multis specialiter oblatum, tantum unicuique proficiat quantum proficeret si pro eo solo offerretur. Multi negant, ea præsertim innixi ratione, quod, ex institutione Christi, valor missæ in se infinitus, finito modo tantum applicetur. Vide *Ferraris*, v° Missa, art. 1, n. 14. Alii vero multo plures, ut *Suarez*, *Concina*, *Habert*, *Juénin*, *Tourneley*, et *S. Liguori*, affirmant, contententes effectum missæ limitari, non ex institutione Christi, ut volunt patroni primæ sententiæ, sed ex finita capacitate hominum pro quibus offertur: unde concludunt æque singulis pluribus prodesse ac si unum tantum applicaretur.

7° Omnes tamen fatentur sacerdotem qui plura accipit stipendia vel plures promisit missas, tot singulatim celebrare ex justitia teneri, sub peccato mortali, 1° quia prior sententiâ, a multis defensa, non est improbabilis; 2° quia per susceptionem stipendiorum vel promissionem missarum factus est contractus, cui ex justitia standum est; 3° quia Alexander VII hanc damnavit propositionem: « Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre. » Ergo.



## CAPUT QUINTUM.

DE IIS PRO QUIBUS MISSÆ SACRIFICIUM OFFERRI  
POTEST.

Duplicis generis sunt personæ pro quibus divinum illud sacrificium offerri potest, nimirum viventes et mortui.

*De viventibus.*

1° Nullus est dubitandi locus quin missæ sacrificium offerri possit pro omnibus Ecclesiæ membris adhuc viventibus, sive justi sint, sive peccatores modo non excommunicati; est enim propitiatorium et impetratorium, *ex dictis*: igitur offerri potest ad obtinendam remissionem peccatorum, et ad impetranda bona ad salutem conducentia. Porro si quidam homines tales obtinere possint effectus, maxime qui sunt membra Ecclesiæ viventia. Ergo. Unde in canone missæ, oratione *Te igitur*, dicimus: *Quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica.... pro omnibus orthodoxis, atque catholicæ et apostolicæ fidei cultoribus.*

2° Pro catechumenis et ipsis infidelibus in genere offerri potest per modum deprecationis, ut convertantur, pœniteant et gratiam justificationis obtineant; pro iis quippe omnibus deprecari licet, juxta hæc B. Pauli verba, I Tim. II, 1: *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt.* Porro sacrificium missæ, quatenus impetratorium, per modum deprecationis offerri potest. Ergo.

3° An offerri possit pro excommunicatis, major est difficultas. Communius tamen docent auctores missam licite offerri pro excommunicatis toleratis, et eis prodesse quatenus offertur in persona Christi; quia, vi Constitutionis Martini V, *Ad evitanda scandala*, cum eis communicare licet in divinis. Imo probabiliter valide et quandoque licite

offerri potest nomine Ecclesiæ, præcise quia hujusmodi excommunicati non sunt vitandi. Non tamen publice nominari possent si essent notorii, licet tolerati, propter fidelium offensionem.

4° Pro excommunicatis non toleratis missæ sacrificium offerri potest indirecte, si nempe offeratur pro omnibus peccatoribus, pro conversione hæreticorum et impiorum: sed directe offerri non potest nomine Ecclesiæ pro iis etiam generaliter spectatis, nullum in particulari nominando; et communiter docent auctores eum qui sic ageret, mortaliter peccaturum, quia contra gravem Ecclesiæ prohibitionem iret.

5° Quoad hæreticos et schismaticos non videtur, in hac quæstione, ratio discriminis inter eos et alios excommunicatos. Pro iis ergo missæ sacrificium offerri potest vel non potest, prout, ex circumstantiis, annumerandi sunt excommunicatis toleratis vel non toleratis.

Diximus nomine Ecclesiæ, quia sacerdos potest, ut privatus, pro excommunicatis non toleratis orare etiam in precibus publicis ac in ipso missæ sacrificio: imo actionem sacrificandi, prout est opus personale, offerre potest. Intentio enim Ecclesiæ fuit tantum excommunicatos denuntiatos iis privandos esse bonis quæ Deus in gratiam ipsius Ecclesiæ concessurus fuisset. Talem excommunicatum in precibus publicis nominare, fidelibus commendare non posset, nec, ut arbitramur, stipendium ab Ecclesia determinatum exigere, cum divinum sacrificium more consueto et nomine Ecclesiæ offerre nequeat.

*Hæc melius intelligentur ex dicendis in Tractatu de Censuris.*

*De mortuis.*

1° De fide est missæ sacrificium offerri posse pro defunctis in purgatorio existentibus; sic enim habet concil. Trid., sess. 22, can. 3: « Si quis dixerit missæ sacrificium » esse tantum laudis.... neque pro vivis et defunctis, pro » peccatis, pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus » offerri debere; anathema sit; » et sess. 25, decreto de



Purg. definit « animas ibi detentas fidelium suffragiis, » potissimum vero acceptabili altaris sacrificio, adjuvari. » Addi possent testimonia Patrum et praxis totius Ecclesiæ. Ergo.

2° Ignoramus autem qua ratione sacrificium salutare, eleemosynæ aliaque bona opera mortuis prosint. « Non » omnino ambigendum est ista prodesse defunctis, sed ta- » libus qui ita vixerint ante mortem, ut possint eis hæc » utilia esse post mortem; » S. Aug. Serm. 112. Fructus igitur sacrificii applicatur defunctis modo finito, in quan- titate dispositionibus quas habebant moriendo proportio- nata, et nobis prorsus ignota. Ideo, multis pro eadem anima iteratis missis, non constat eam a pœnis purgatorii esse liberatam.

3° Attamen missæ sacrificium prodest defunctis ex opere operato; quia principalis fructus ejus a dispositionibus ce- lebrantis non pendet. Parvi refert ergo, sub hoc respectu, an missa a bono vel a malo celebretur ministro, aut dica- tur missa defunctorum, vel occurrentis sancti aut feriæ; idem quippe est valor substantialis sacrificii: sed, ex parte orationum, magis prodest illa in qua sunt orationes ad hoc determinatæ: verum hic defectus compensari potest per majorem devotionem, vel ejus qui dicit missam, vel ejus qui jubet dici, vel iterum per intercessionem sancti cujus fit officium.

4° Pro infidelibus defunctis missa offerri non potest no- mine Ecclesiæ, quia ad Ecclesiam non pertinent. Offerri igitur non potest, ad satisfaciendum voto matris desolatæ, pro infante sine Baptismate decesso, ne privatim quidem, quia hujusmodi infantes constituuntur in statu fixo.

5° Pro excommunicatis vitandis, ante absolutionem defunctis, missa nomine Ecclesiæ offerri non potest, nec orationes Domino porrigendæ, nisi viventes evidentia pœ- nitentiæ signa dederint, et etiam defunctis beneficium absolutionis impendatur, ut docet Innocentius III, De- cretal. l. 5, tit. 39, cap. 38.

6° Pro excommunicatis toleratis probabiliter licet pu- blice orare et missæ sacrificium nomine Ecclesiæ offerre,

ob rationem supra expositam, et eadem conditione si fidelium offensio timenda esset.

7° Attamen Ecclesia non orat pro hæreticis et schisma- ticis publicis, etsi non denuntiatis, nec pro impiis noto- riis, « nec pro illis quos constat decessisse in mortali, ut » cum quis suspendit se, vel præcipitat, aut alio modo se » interficit. » Sunt verba Glossæ in decretum, 2 p.. c. 10, q. 2, can. 21.

Nunquam igitur missa saltem publice offerri potest pro iis quibus denegata est sepultura ecclesiastica, quia tunc vera existeret contradictio.

8° Privatim vero orare et ipsam sacrificandi actionem, prout pendet a merito privato, per modum suffragii offerre possumus pro omnibus christianis, quorum reprobatio non est certa, ut apud Deum adjuventur, si reipsa adju- vari possint; quia *melius supererunt ista eis quibus nec ob- sunt, nec prosunt, quam eis deerunt quibus prosunt*, inquit S. Aug., lib. de Cura gerenda pro mortuis, cap. 18.

9° *Certum est missæ sacrificium offerri non posse sanctis, sed soli Deo qui illos coronavit*, ut docet concil. Trident., sess. 22, cap. 3. Ex canone 5 sequenti, de fide est missas celebrari posse *in honorem sanctorum, et pro illorum inter- cessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit*, et quotidie facit.

10° Quidam opinati sunt animas damnatorum aliquan- tulum a pœnis sublevari per eleemosynas et sacrificia ad eorum intentionem oblata, ut videre est apud P. *Peteau*, t. 3, dogm. l. 3, cap. 8, n. 15; verum hæc singularis opinio nullo innixa fundamento, explodenda est velut absurda. Imo, cum quidam concionator hanc emisisset sententiam, ex resolutione S. Cong. Inquisitionis, ab In- nocentio X approbata, coactus est se retractare: *Ferraris*, v° Missæ sacrif., art. 7, n. 20.

11° Ad sacram Cong. concil. delata est quæstio quam non resolvit, an scilicet ante mortem celebrare vel cele- brari facere liceat missas de *Requiem*, pro suffragio ani- mæ suæ, per anticipationem. Congregatio autem Rit. declaravit, die 28 martii anni 1775, missam de *Requiem*



pro persona adhuc vivente, per anticipationem celebrari non posse.

## CAPUT SEXTUM.

### DE MINISTRO SACRIFICII MISSE.

Christus principalis est offerens in sacrificio missæ. *Idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit*, ait concil. Trid., sess. 22, cap. 2. *Per hoc et sacerdos est, ipse offerens, ipse et oblatio*, inquit S. Aug. de Civitate Dei, l. 10, cap. 20.

*Probavimus in prima parte solum sacerdotem esse ministrum Eucharistiæ sacramenti quoad confectionem*: inde sequitur eum solum missæ sacrificium valide offerre posse. Circa hoc punctum nullum moveri potest, nec de facto movetur dubium.

Simplices tamen fideles aliquo sensu dici possunt missæ sacrificium offerre, quatenus videlicet oblationem a sacerdote factam approbant, ei consentiunt, et Christo victimæ cordis affectu conjunguntur. Unde in canone legitur: *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum..... pro quibus tibi offerimus vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se suisque, etc.*

Dispositiones in sacerdote requisitas ad licite celebrandum, supra descripsimus, agendo de dispositionibus ad suscipiendam Eucharistiam necessariis. Nunc specialiter nobis agendum est 1° de obligatione quam habent sacerdotes missam celebrandi; 2° de frequenti celebratione; 3° de obligatione fructum missæ applicandi; 4° de stipendio et obligationibus ex stipendio nascentibus.

## ARTICULUS PRIMUS.

### DE OBLIGATIONE QUAM HABENT SACERDOTES MISSAM CELEBRANDI.

1° Longe communius docent theologî, v. g., S. Th., Suarez, Layman, Bonacina, Concina, Habert, Juénin, Col-

let, contra Card. de Lugo et nonnullos alios, omnes sacerdotes, non legitime impeditos, teneri sub peccato mortali saltem aliquando celebrare; idque concludunt 1° ex verbis B. Pauli, Hebr. v, 1: *Omnis namque pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis*; 2° ex verbis Christi, *hoc facite in meam commemorationem*: quæ verba, ex concilio Trid., sess. 22, cap. 1, verum continent præceptum. 3° Ex Decretal. l. 3, tit. 41, cap. 9, ubi Innocentius III fortiter arguit sacerdotes qui *missarum solemnia vix celebrant quater in anno*; 4° auctoritate S. Pii V, qui contradictoriam opinionem ex operibus Cajetani eam defendentis expungi jussit, referente S. Ligorio, l. 6, n. 313, dub. 1.

2° Non sibi consentiunt theologî quoties in anno celebrare teneatur sacerdos, ut non peccet mortaliter. « Saltem videtur quod celebrare teneatur in præcipuis festis, et maxime in illis diebus in quibus fideles communicare consueverunt, » inquit S. Th. 3 part., q. 82, art. 10, conclus. Præcipua autem festa in quibus fideles communicare consueverunt, sunt Nativitas Domini, Pascha et Pentecostes, ut explicatur apud Bened. XIV, l. 3, cap. 1, n. 5 et 6.

Concilium Trid., sess. 23, de Refor. cap. 14, sic habet: « Curet episcopus ut ii saltem diebus dominicis et festis » solemnibus; si autem curam habuerint animarum, » tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, missas » celebrent. » S. Car. Bor., concilio Mediol. I, tit de Freq. divini Sacrificii Oblatione, auctoritate concilii Trid. innixus, omnibus sacerdotibus, cujuscumque gradus, dignitatis et conditionis, præcipit ut his diebus celebrare non omitant. Hinc Bened. XIV, l. 3, cap. 1, n. 9, concludit dari obligationem sub peccato, pro sacerdote non impedito, singulis diebus dominicis et festivis celebrandi: sed definire non vult an illa obligatio sit sub veniali tantum, an sub mortali.

Longe probabilius videtur aliquas hujus generis omissiones, sine causa excusante, esse duntaxat peccata venia-